



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. De officio, & potestate Archipresbyteri, seu Decani ruralis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

his rectius consulitur recepta consuetudo, quam jus commune, cui consuetudo derogari potuit: quæ consuetudo faciliè etiam docebit, quid jurisdictionis habeat Archipresbyter, cum enim spectato jure communi antiquo nullam ille habeat in foro externo jurisdictionem, habeat tamen jurisdictionem ordinariam fori interni in ordine ad omnes Dioecesanos, (saltem extra casus reservados) ut patet ex c. 1. & 2. h. t. consequenter jurisdictionis fori externi, si quæ illi competit, ex consuetudine defumenda est, juxta quam nonnunquam idem est Archipresbyter cum Præposito Ecclesiæ Cathedralis, nonnunquam idem est cum Decano illius Ecclesiæ. De superioribus Ecclesiarum Collegiatarum, sive dein Decani, sive Præpositi vocentur, probabile saltem est, quod de jure communi illis competat ordinaria in Clericos sui Collegij in foro externo jurisdictionis, si à Collegio illi eligantur, & ab Episcopo confirmantur, juxta Gloss. in c. cum Ecclesiarum 3. V. Ecclesiastica sententia de off. jud. ord. exceptis causis criminalibus, & quæ privationem seu depositionem merentur, ac ob arduam Episcoporum jurisdictioni reservata sunt, consulatur consuetudo.

\* \*  
\*



## §. II.

De officio, & potestate Archipresbyteri, seu Decani ruralis.

Officium illius ex c. ut singula 4. h. t. defumitur, ubi statuitur, ut Archipresbyterum habeant singula plebes, (quem nos Decanum ruralem vocamus) qui non tantum imperitæ plebis curam gerat, sed etiam Presbyteris, qui minoribus titulis seu Parochiis præstant, intendat, & quæ quisque industria opus divinum exerceat, ad Episcopum referat, qui cum solus omnibus Dioecesis suæ Presbyteris satis attendere non possit, Archipresbyteros constituit, dependenter à se omnia ordinantes. Et quamvis graviora ad Episcopum, vel ejus Vicarium Generalem referre debeant, habent tamen ad quædam minora expedienda cumulativè jurisdictionem, vel delegatam, si immediatè ab Episcopo constituentur, vel ordinariam, si à Capitulo rurali eligantur; & hinc non tantum fide professionem electi hi emittere debent, sed juramentum etiam præstare, quod officium suum fideliter administrare, Clericos suæ curæ commissos, & loca sacra visitare, Capitula congregare, quæ corrigenda videntur, corrigere, Clericorum ebrietates, & alia scandala impedire &c. Dignitatem tamen propriè dictam, aut Personatum non habent, ut possint esse Sedis Apostolicæ Delegati.